



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.


Med. 53. De Gloria, quà complectitur præmia octo Beatitudinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

obtinendi *hereditatem incorruptibilem; & in-*
contaminatam, & immarcescibilem, conser-
uatam in cælis, quam custodis per viuam fidem
in tuis electis, quibus eam reuelas in tempore
nonissimo; regenera me propter bonitatem
tuum in esse filij tui, conseruans in me semper
gratiam tuam, vt obtineam supernam istam
gloriz tuæ hereditatem. Amen.

MEDITATIO LIII.

DE GLORIA COELESTI,
 qua præmia complectitur
 octo Beatitudi-
 num.



AGNITVDINEM
 gloriz, declarauit Chri-
 stus Dominus noster in
 sermone habito in mon-
 te; exprimens illam se-
 ptem illis præmiis, quæ
 promisit actibus virtu-
 tum heroicarum, quas beatitudines nomina-
 uit; de quibus fusè actum est in tertia parte,
 Meditatione vndecima. Illis ergò præmissis,
 meditabimur nunc eadem septem præ-
 mia, quatenus inueniuntur in
 cœlesti gloria.

PUNCTVM I.

PRIMUM est considerandum, hanc gloriã esse REGNUM illud COELORVM, quod Christus Dominus promittit *pauperibus spiritu, & iis, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* quod regnum non est aliud, quã clara Dei visio, & possessio infinitarum eius diuitiarum, cum sanctitate, a *iustitia, pace,* ^{a Rom. 14.} *& gaudio in Spiritu sancto,* ^{17.} quæ habent Sancti in cœlo Empyrio: In quo vnaquæque harum rerum est, cum magna eminẽtia. nam ipsa Dei visio, est clarissima, absque vlla admixta obscuritate, diuitiæ illæ sunt absque vllò defectu & paupertate; sanctitas est pur a, absque vllò genere malitiæ: iustitia, absq; vlla inæqualitate aut iniuria; pax est solida, absq; vlla diffensione & discordia; gaudium absq; omni vestigio doloris aut tristitiæ. ^{b Luc. 17. 21} *Hoc Regnum est intra vnumquemq;* ^{10.} & quisq; possidet illud integrè, absq; dependentia ab vllò alio. Nam, etsi vnicus tantum fuisset Beatus, ille habuisset regnum suum integrũ; licet ex cõsortio dulciq; societate reliquorum Beatorum, accrescat illi nõ exiguum gaudium. Hinc est, quòd singuli habitatores cœli, accipiant hoc regnum, tanquam suum; ita vt sint veri Reges, & vehementer exultent de Regia sua dignitate, qua simul regnant cum supremo omnium Rege, qui est Deus: ideoq; Triumphans Ecclesia appellatur *c Regina,* quæ est *a dextris* ^{c Psal. 44.}

sui Sponsi, *in vestitu deaurato, circumdata varietate*, plurimorum donorum & virtutum, prout decet sponsam supremi Regis. Quid ergo gloriosius esse potest, quàm tale Regnum possidere, & esse Regem in societate tot clarissimorum Regum, *d quorum minimus*, incomparabiliter *maior est* omnibus Regibus terræ, O Rex Regum, & Domine Dominantium, gratias tibi, quod tuis seruis in præmium cuiuscunque etiam parui obsequij, tradas regnum ad eò excellens. O Regnum infinitum, & cælum immensum, coangustatum ad cor iusti, & comparatum operibus iustitiæ eius! *e si omnia huius mundi bona adijciuntur querenti primum hoc Regnum*, qualia erunt bona, quæ reddentur ut merces præcipua ei, qui dignus est, illud obtinere. O felices illos, qui se ipsos humiliant, & spontè paupertatem amplectuntur aut humiliationem, & persecutionem patiuntur propter iustitiam, qui tale regnū proprio præmio suo habebunt. *f Adueniat, Domine ad me regnum tuum, & g ingrediatur me ipsum, ut ego ipsum ingrediar, & te fruam in æternum. Amen.*

d Mat. 11. 11

e Mat. 6. 33

f Mat. 6. 10

Luc. 17. 21.

PUNCTVM II.

SECUNDÒ est perpendendum, quod cælestis gloria, sit felix illa POSSESSIO TERRAE, quæ promittitur *mitibus*, quæ hâc quâ pedibus calcamus, tanto excellit, quanto stellatum cælum magnitudine, pulchritudine, ac splen-

splendore eandem excedit. hæc enim terra, est habitatio moriturorum, & sepulchrum eorum, quos in puluerem conuertit; Est vallis lachrymarum, exilium Patriæ nostræ, miseria plenum, quia est terra maledictionis, arida, & sterilis, ob culpam eius, qui fuit primus eius incola; **TERRA** vero, quæ hic promittitur, est a *Regio viuorum*, in qua nullus potest mori, & omnes commutant terrenam vitam cum cœlesti; est vallis deliciarum, in qua fluunt lac & mel diuinarum consolationum: nulla ibi suspiria, nullæ lachrymæ, nec earum occasiones; est terra benedictionis & irrigua cū stupenda fecunditate. nā (vt ait. S. Ioan.) cōtinuè irrigatur *fluuio aqua viua, splēdidæ instar b crystalli, quæ procedit de sede Dei & Agni, & ex vtraq; parte fluminis plurima sunt ligna vitæ. quæ afferunt fructus duodecim in anno, per menses singulos, reddentia fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* O felicissimam terram, in qua continuè perpetuoque manat aqua viua & clara visionis diuinitatis Dei, & humanitatis Agni Christi **I E S V**; cuius habitatores sunt sicut arbores vitæ, qui semper humectantur aqua huius diuini fluminis; cuius virtute producunt innumeros fructus recentium gaudiorum & deliciarum. O felices arbores, quarum folia adferunt salutem gentibus, qui degimus in hac terra. nam propter testimonia, quæ de eis audimus; & protectionē, quā in eisdem habemus, speramus nos

c Psal. 114. 9

b Apoc. 22. 1

c *Matt. 25.*
33.

victuros cum eis in cœlo, O quis mihi felicitas huius terræ possessionē daret! ô anima mea, dilige mansuetudinem Agni IESU, ut tradat tibi supernam hanc terram in possessionem, quò nō possunt peruenire *chedi*, qui in die iudicii *ad sinistram eius* collocabuntur, sed Agni tantum; qui erunt *ad eius dextram*.

PUNCTVM, III.

I.

a *Ioan 14.*
16.
a *2. Cor. 3.* 3

TERTIÒ est considerandum, gloriam cœlestē esse CONSOLATIONEM, quæ promittitur *lugentibus*. Vbi hæc sunt perpēdenda; quis ille sit, qui consolatur, quibus rebus, quo modo, & quanto tempore consoletur. QVI consolatur, est ille, qui per excellentiam appellatur a *Paracletus*, & b *Deus totius consolationis*, & à quo procedit omne, quod nos potest consolari; & in cœlo hoc efficit eminenter.

II.

IBI enim sunt res innumere, quæ summa excellentia consolantur. nam consolatur ipsa clara visio Dei, & humanitatis Christi, præsentia gloriosissimæ eius matris, societas & consortium Hierarcharum, Angelorū, suavissima conuersatio cum Christo Patriarcharū, Prophetarū, Apostolorum, Martyrum, & reliquorum Sanctorum felicitas illius curiæ cœlestis; ubi quisq; est alterius consolator, quatenus omnium bona consolatur vnumquemq;: Consolatur securitas loci, æternitas illius status, pax conscientię, quæ exsuperat omnē sensum.

QVIS

QVIS VERÒ MODVM explicet talis consolationis? non enim consolatur ibi Deus, culpas & peccata cōdonando, tristitiasq; leniendo; sed vtrumque horum in æternum inde repellendo; ibi *c gaudium & lætitia inuenitur*, *c Isai. 51. 3.*
gratiarū actio. & vox laudis, & d per vicos eius, *d Thob. 13.*
semper Alleluia cantatur, quibus cor recreatur. *22.*

III.

ET tota hæc consolatio erit æterna, absque vlla vnquam cessatiōe; quia omnes *c sunt iam* *c Matt. 25.*
intra gaudium Domini sui, & *f nemo gaudium* *21.*
illud tollet ab eis. O vita beata, in qua consolatio æquæ æterna est atq; ipsa vita; & vita æquæ æterna, atque ipse Consolator! felix qui *f Iuan. 16.*
luget in hac vita mortali; siquidem recipiet talem *22.*
consolationem in immortalī. O Deus spei, *g Rom. 15. 13*
reple me omni gaudio, pace, & consolatione, in
credendo magnalia tuæ gloriæ, vt huius vitæ
dolores & cruciatus tolerem, spe firma futu-
rarum consolationum, quas mihi daturus es
in futura.

IV.

PUNCTVM IV.

QVARTÒ est considerandum, quod gloria coelestis sit illa SATVRITAS, quæ promittitur *esurientibus & sitientibus iustitiam*: quæ saturitas est quædam abundantia rerum omnium, quas possunt homines rationabiliter desiderare. Vbi est perpendendum, quod hæc terra sit locus perpetuæ famis & sitis.

NAM aliqui esuriunt escas & delicias car-

I.

nis; alij diuitias, honores, ac dignitates huius mundi: alij sitiunt sciēcias & curiositates sensuum: alij denique sitiunt virtutes & gratias cœlestes: nec quisquam in hac vita vnquam satur esse potest: quia temporalia bona non possunt implere desiderium nostrum; spiritualia autem dantur in certo pondere & mensura, semperque superest appetitio crescendo in eis. idcirco enim dicit Sapientia: *a Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* At Cœlum, est locus satietatis, & quidem plenæ: nam (vt ait Dauid) *b Satiabor cum apparuerit gloria tua.* ea enim visio adedō ditat & exaltat Beatum, vt omnes diuitiarum & excellentiarum huius mundi appetitiones excludat: eò quòd omnia hæc comparata cum ipsa Dei visione, sint miseræ & abiectiōnes. Illa enim visio, desiderium explet sciendi. nam, viso Deo, omnia videntur, quæ desiderari possunt: illa explet etiam sitim & desiderium virtutum; quia illis adfert complementum & vltimam perfectionem. Et licet hoc duret per totam aternitatem, nunquam tamen tædium adferre, sed quotidie potius oblectat, ita recens atque erat initio. Denique ibi implebitur quod scriptum est, *c precipitabit omnem mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie: & illud: d Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, nec vllus estus: quoniã Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vita fontes*
aqua.

*a Eccl. 24.
29.*

b Psal. 16. 15

c Isai. 25. 8.

d Apoc. 7. 16

Isai. 49. 10.

aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Esuri, anima mea, hanc gloriam, quæ sola sufficit te plenè satiare; esurias quoque & sitias iustitiam, sine qua non poteris assequi gloriæ magnitudinem.

PUNCTVM V.

QVINTÒ considerandum, quod gloria cœlestis, est illa PLENITUDO MISERICORDIAE, quæ promittitur misericordibus. est autem perpendendum, tria esse diuersa loca pro tribus diuersis hominum generibus, Infernum videlicet, Cœlum & terram, quæ media est inter vtrumque; quæ (ut ait Apostolus) est sicut magna quædam aedificatio, in qua non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fœtilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam; & b quædam sunt vasa iræ apta in interitum, ob illorum peccata, alia vasa misericordiae, quæ præparauit ipse in gloriam, in præmium bonorum operum ipsorum, quæ in Diuina gratia fundantur.

Ex hoc medio loco proueniunt habitatores vtriusque extremi loci. Infernus enim est locus destinatus vasis contumeliæ & iræ, in quæ Deus ostendit supremam iram, & ultionem de suis inimicis, afficiens eos supremo supplicio, quæ seuera ipsius iustitia contra eos præscripsit: Cœlū autem est destinatum vasis misericordiae, factis in honorem, in quæ Deus ostendit supremam

mife-

I.

a 2. Tim. 2.
20.

b Rom. 9. 21

I I.

miseri-
cordiam, quam iustis desiderat exhi-
bere, reddens ex infinita sua bonitate & cha-
ritate, ipsis operibus gratiæ suæ, præmium æ-
ternæ gloriæ. Quare cœlum est instar do-
mus alicuius, siue Abaci, pretiosissimis vasis
aureis argenteisque ornati; inter quæ nullum
admiscetur ligneum aut fictile, quod aut con-
fringi possit, si pulsetur, aut carie corrumpi,
aut igne consumi: quia omnia sunt ibi vasa
honoris & gloriæ, nullum contumeliæ aut
infamiæ; omnia sunt vasa misericordiæ, quæ
à sua æternitate Deus sibi elegit ex sua miseri-
cordia, & coronat eos (vt ait Dauid) in miseri-
cordia & miserationibus, replens in bonis desi-
derium eorum, & renouans vt aquila, iuuentu-
tem eorum, absque periculo aut timore iterû
senescendi. Ex quo colligam, quamuis Gloria
sit verè corona iustitia, tamen hæc gratiæ in-
nitatur, potius esse censendam coronam in-
finitæ misericordiæ, quam consecuta sunt vasa
miseri-
cordiæ, eo quod fuerint misericordes.
Quare habitans anima mea inter Cœlum &
Infernum, contende esse vas aureum per cha-
ritatem, & argenteum per puritatem: purifica-
te à culpis & animi perturbationibus, & sic
fies vas sanctificationis, in quo deponat Deus
nunc thesauros gratiæ suæ, & postea etiam
thesauros gloriæ, Amen.

CIRCA hoc punctum, videri possunt quæ di-
cta sunt in Meditationibus de charitate & mi-
seri-
cordia Dei.

c Psal. 102. 4.

d 2. Tim. 4.
8.c 2. Tim. 2.
20.

PUNCTVM VI.

SEXTÒ considerandum, cœlestem gloriam esse claram illam VISIONEM DEI, quæ promittitur *mundis corde*, in qua beatitudo nostra consistit.

CIRCA quod perpendendum est PRIMÒ, quod sicut in terra, parentes quando filias tradunt nuptui, dant illis dotes & pretiosa donaria, quibus se ornât; & ipse sponsus eo die quo sponsam in domum suam deducit, eidem tradit pretiosa monilia, ita Pater æternus vnicuique animæ filij sui sponsæ, die quo inducitur in Cœlestem domum, in qua matrimoniû hoc spirituale perficitur, tradit tres pretiosissimas gloriæ dotes, respondentes tribus Theologicis virtutibus, quas in hac vita habuit, quibus cum exornata est pulchriorque reddita, impletur eius beatitudo.

IN præmium FIDEI dat illi excellentissimum *gloria lumen*, quo clarè videt Deum, omniaque illa mysteria, quæ credidit in hac vita, nullo ampli⁹ occultato, vt impleatur quod dixit Dauid: *a In lumine tuo vidēbimus lumen,* *b in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, quoniam gloria virtutis eorum tu es. O quam dulce est hoc lumen, & quam delectabile est oculis videre solem!* O Sol iustitiæ, reple me diuino isto lumine, vt te videam in tua gloria, & splendore.

IN præmium SPEI, datur secunda dos, quæ
dici-

L

a Psal. 35. 10

b Psal. 35. 10

c Eccl. 11. 7.

II.

dicitur *comprehensio*, habere scilicet semper presentem & quasi in proprietate & possessione, quicquid in hac vita existens, sperabat ac desiderabat. ibi enim habet sibi presentissimum Deum suum, Patrem suum, Sponsam, & ultimum finem suum, omneque bonum, quo fruitur tanquam re, quam in sua potestate habet, quam magna securitate, nunquam eam amittendi, aut ab ea recedendi, complectitur. Sic enim eousque cucurrit, ut comprehenderet. Et in primo illo coelesti ingressu statim dixit, d

d *Cant. 3. 4.* *Inueni quem diligebat anima mea, tenebo eum nec dimittam.*

III.

IN primum CHARITATIS, datur ei tertia dos gloriae, quae vocatur FRUITIO siue Amor, diligere videlicet summè bonum, quod videt; & gaudere de convenientia & bonitate, quam habet, cum gaudio illo & voluptate ineffabili, quae ex eo in ipsa oritur, quod se videat ei coniunctam, quem tantopere diligit, amans sicut amatur, & fruens mutuo isto amore. Et ita dicit: *e dilectus meus totus mihi, & ego totus illi.* Dilige anima mea, cordis puritatem, exacuens has tres virtutes, quod Deus tibi det tres suas gloriosas dotes. O Pater luminum, da mihi lumen tuae gloriae, ut videam quod credo lumine fidei. O verbum Diuinum, animarum Sponse, da temetipsum mihi, ut securè possideam, quod cum spe desidero. O Spiritus sanctissime, ostende mihi tuam bonitatem, ut

c *Cant. 2. 16.*

cum

cum saturitate fruar eo, quod amo cum charitate.

PUNCTVM VII.

VLTIMÒ est considerandum, quòd cœlestis gloria sit perfecta **ADOPTIO** filiorum Dei, quæ promittitur *pacificis*. Perpendam itaque quod sicut **CHRISTVS** D. N. bis fuit declaratus filius Dei; primùm statim post Baptismum, deinde in Transfiguratione, veniente super eum Spiritu sancto in figura columbæ, aut nubis, sonante voce Patris ac dicente: *a Hic est Filius meus dilectus*; ita Iustus bis declaratur & promulgatur filius Dei adoptiuus. Primùm in hac vita mortali, quando vocatur & iustificatur per Sacramenta, quibus illum extollit, talibusque gratijs & donis illum exornat, vt manifestetur dignitas filij Dei, vt indicauimus in Meditatione de Christi Baptismo. Sed hæc adoptio filiorum adhuc est imperfecta, quia periculo est exposita, ne ob nostram culpam illâ excidamus. Quare etiam sanctissimi, quales erant Apostoli, *b qui primitias spiritus habebat & ipsi intra seipsos gementes, adoptionem filiorum Dei expectabant*, perfectionem scilicet primæ adoptionis, accedete alia adoptione perfectiori, per Christi Domini nostri transfigurationem significata, quæ tribuitur animæ, eo die, quo ingreditur in cœlestē gloriam, & accipit possessionem hæreditatis, filijs debitæ, cum iure recipiendi in fine mūdi

*a Matt. 3. 17
Luc. 9. 35.*

Part. 3. Medit. 3.

b Rom. 8. 23

corpus

3. Part. Me-
dit. 21. 22.

c Prou. 3. 11.

c 1. Ioan. 3. 2

d Hebr. 12. 0

corpus glorificatum, cum quatuor dotibus
gloriæ, quæ supra fuerunt positæ; & tunc ma-
nifestat magis Deus dignitatem eorum, qui
sunt ipsius filij: vt enim ait S. Ioannes, c *Nunc
filij Dei sumus; & nōdum apparuit, quid erimus.
Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei eri-
mus: quoniam videbimus eum sicuti est.* O Pater
amantissime, gratias tibi pro suprema hære-
ditate, quam dilectis filijs tuis largiris, licet
hiceos nonnihil in humilitate contineas, &
duriusculè tractes, d *quia flagellas omnem filiū
quem recipis? Quamuis e complaceas tibi in eo
tanquam in filio; quia statuisti eum exaltare, &
honorare, hæredem regni tui illum constitu-
endo. O si ego hac spe filiationis huius per-
fectæ ita excitarer & exultarem, vt vitam du-
cens, sicut filium talis patris decet in terra;
ipse me gloria sua coronaret in cœlo, Amen.*

MEDITATIO LIV.
DE GLORIA COELESTI,
quatenus complectitur septem præ-
mia, quæ Christus in Apocaly-
psi vincentibus pro-
mittit.



GLORIAE cœlestis præstantiam
expressit etiam Christus D.N. in
Apocalypsi S. Ioannis; indicans
septem genera præmiorum, quæ

pro-